



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

Inqvisitio XVII. De his qui paruuli ab hostibus capti sunt, & non se sapiunt baptizatos, sed sciunt se aliquotiens ad ecclesiam a parentibus ductos; vtrum possint, vel debeant, cum ad Romanam ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

INQUISITIO XVII.

De his qui paruuli ab hostibus capti sunt, & non se sapiunt baptizatos, sed sciunt se aliquotiens ad ecclesiam a parentibus ductos; utrum possint, vel debeant, cum ad Romanam venerint, baptizari?

RESPONSIO.

De consecr.
dist. 4. Si
nulla.

Qui possunt meminisse quod ad ecclesiam veniebant cum parentibus suis, possunt recordari, an quodeorum parentibus dabatur acceperint. Sed si etiam hoc ab eorum memoria alienum est, conferendum eis videtur quod collatum esse nescitur; quia non temeritas interuenit præsumptionis ubi est diligentia pietatis.

INQUISITIO XVIII.

De his qui ex Africa, vel Mauritania venerunt, & nesciunt in qua secta sint baptizati, quid circa eos debeat obseruari.

RESPONSIO.

De consecr.
dist. 4. Hi de
quibus.

Non se isti baptizatos nesciunt, sed cuius fidei fuerint, qui eos baptizauerunt, se nescire profitentur. Vnde quolibet modo formam baptismatis acceperint, baptizandi non sunt; sed per manus impositionem, inuocata virtute Spiritus sancti, quam ab hæreticis accipere non potuerunt, catholicis copulandi sunt.

INQUISITIO XIX.

De his qui paruuli quidem baptizati a gentilibus capti sunt, & cum illis gentiliter conuixerunt; cum ad Romanam adhuc iuuenes venerint, si communionem petierint, quid erit obseruandum?

RESPONSIO.

Si conuiuio solo gentilium & escis immolatitiis vsi sunt, possunt ieiuniis & manus impositione purgari, vt deinceps ab idolothytis abstinentes sacramentorum Christi possint esse participes. Si autem aut idola adorauerunt, aut homicidiis, vel fornicationibus contaminati sunt, ad communionem eos, nisi per pœnitentiam publicam, non oportet admitti.